

2

5
250

CARMEN PARENTALE
IN EXEQVIIS
ILLVSTRIS. SAC. ROM.
IMP. PRINCIPIS ET DOMINI,
D. ALBERTI RADZI-
WIL DVCCIS IN OLY-
CA ET NIESWIZ SVPREMI
M. D. LIT. MARSCHALCI, KAV-
NEN: ET ROM: BVRGEN: &c. CAPITANEI,

mœcenatis de se perbene meriti,

STANISLAVS MOGILNICKI
*Poetices in Academia Vilnen: S. I. Stu-
diosus mœrens occinit & dicat.
Illustris, Cardinali RADVILLO*



9094118

IN STEMMATA DEMORTVI D. RADIVILLI.



Obstitit Hæreseôn scelerumq; Albertus echidnis,
Marte tuens Triados sacra fidemque pio,
Cœli sacra fames docuit non tradere morem
Rebus quæ luna sub variante iacent:
Cœlicus hinc illum Luna altius extulit ales,
Orbe super trifido fama superstes erit,
Hoc tuba trina notat minitansq; sagitta cerastræ,
Iunctaque crux soleæ, iunctaque Luna cruci,

CARMEN PARENTALE
IN EXEQVIIS IL-
LUSTRIS D. ALBERTI
RADZIUIL.

SI qua dies Litauis STEphani post fata BATHORI

Lugubris illuxit, milleq; flenda modis,

Illa dies hæc est qua te tua Vilna recepat

Heu iubar extinctum DVX RADIVILE suum,

Heu lachrymosa dies IANI vicesima sexta?

Heu quibus auspicijs hic nouus annus init?

Ergo erat in fatis triginta quattuor annos

Vix vt adimpleres digne diebus Adæ?

O breuis ô preceps humani terminus æui?

Tantane Parcarum iura Tyrannis habet?

Triste simul rapiunt senium lætamque iuuentam,

Ordine non vilo Cræsus & Irus obit.

Vtile futilibus, diadema ligonibus æquant

Nescia Principibus parcere fata viris.

Pontifices quatuor tribus emoriuntur in annis

Romulei, SVEONVM tuq; Monarcha ruis,

Hasque Palatini Castellaniq; per oras

Pænè simul tecum Dux RADIVILE cadunt,

Hæc præ nempe videns toties trieteride tota

Cum fratre occuluit Cynthia mæsta caput,

Titan sanguineo iubar obscurauit amictu

Et soror vmbriferis crebrius ibat equis.

SOL ipse hoc orbam miseratus Principe Vilnam

Vix semel hoc toto mense serenus ijt,

Conditus in nubem latuit quasq; in sola guttas

Funderet imbriferis concijt ille notis.

Dies
Exequi:

ætas Ra-
diuili.

Eclipses
solis &
lunæ.

A ij.

Vidimus

Cœli lu^g Vidimus haud rarò stillantia tecta laresque
get.

Vidimus in templis immaduise tholos :
Fallor ? an astra monent animaq; carentia saxa,
Multis plangendum fletibus esse Ducem ?
Plangite Sarmatici proceres Litauiq; Dynastæ,
Fata RAdiuih plangito Vilna tui,
Cuius Vilna ataus cognomen amabile donas,
Redditur ecce tua nunc tumulandus humo.
Cum Stephano qui Rege tuo Dux contudit hostes,
Hunc dedit indomitæ febris acerba neci,
Quem toties reducem votis ardentibus optas,
En tibi Cracouia sed sine luce redit:
In partem voti succedis, redditur Heros,
At talem reddi tu tibi nolueras.

Sic placitum superis, animam sibi Regia cœli
Vendicat, ossa tuo dantur humanda solo.

Vilnens :
pompa fu
neri ob
uia.

Ecce suburbanis iam flebile funus in agris
Pergit, in occursum quin pia Vilna ruis ?
Funereas cumulentq; faces. cumulentq; feretra,
Principis ALBERTI quos mage fata mouent,
Rudnica diruilet via flammaram ordine longo:
Induat atratas diues inopsq; togas
Vndiq; luctifonis reboent è turribus æra,
Dum tristes litui pleetra lyræque file nt:
Phonasci lugubrè canant : Academica pubes
Obuia flebilibus condecoretque modis :
Relligiosa virùm sese illis agmina iungant:
Ipse ero linigeri pars quotacunque chori
Hic ne meis oculis indeploratus abiret
Mæcenas lacrymis votane mistadarem?
Non ingratum ad eò me saxo redarguat vllus,
Asserat Hircana me neque Tigre fatum.
Quod genus hoc hominū? quæ tã fera pectora? pompã
Funeteam spectant, nec tamen illacrymant?

Quin

Quin (scelus) exultant patriæ cecidisse columnam,
 Impietatis obit quòd pius hostis, ouant,
 Vos saltem quos tangit amor pietatis auitæ
 Vos hæc cernentes ingemuisse decet.
 Cernitis vt guttis humectant grandibus ora
 Et qui sex vectant flebile funus equi,
 Bisq; decem ducti quos versicoloris amictus
 Carbasa, quos Serum vellera picta tegunt.
 Et Cataphractus eques fracta testabitur hasta
 Lapsus equo fortem succubuisse Ducem.
 Cæsaris hinc donum, sonipes it Iberus & alba
 Se dare mentito terga gemiscit hero:
 Sessor quippe refert Radiulum Amethystino amictu
 Quo Nymphagogus conspiciendus ijt:
 Aurea tegmina equus Tyriamque agnoscit abollam,
 Cristam, ocreas, phaleras, vox at herilis abest.
 Mutus herus vehitur, baculus super aureus vnam,
 Quo rexit procerum vota ferenda, iacet.
 Pone subit funus, simulacrum flebile coniunx,
 Plangit & atrato firmate verrit humum.
 Inclyte Curonum Dux duc FRIDERICE sororem,
 Ne labet affinem Dux Radiuile tene.
 Mæsta parens natæ mæstissima pectora leni,
 Fle soçrus generum parcius illa virum.
 Succidit ah mediis animo defecta plateis,
 Surrigite ô comites refficitote mero.
 Heu quoties viso tumulto miseranda iacebit,
 Si tantum incutiunt æra agitata merum:
 Mens tandem redit & redeunt suspiria cordi,
 Atq; genis lacrymæ pectoribusq; dolor:
 Mitius extinctum flerant Phaethonta sorores,
 Mitius Halcyone fleuerat orba virum.
 Cur mens ægra redis? ait, hoc te carcere soluas,
 Vt possim Alberto me sociare meo.

Pompa fu
nebris.

Coniunx
Radiuile

Ductores
eius.

Deliquiū
animi
passa.

Planctus.

Vnius fidei thalamicque vnus eramus,
Vnaq; nos pariter concedet vna tegat,
Cur lucem moror inuisam te morte perempto,
Luce animaque magis qui mihi charus eras,
Corporis hanc tateor genitrici debeo lucem,
Te duce luce animi chare marite fruor:
Te duce nam fidei mihi lux affulit auitæ
Quo sine non perpes luxue salusue datur,
O superi si qua est pietas, finite dolores
Hosce meos, vitam demite quæso mihi.
Me finite Alberto comitem succedere terræ,
Quo sine solamen res mihi nulla feret.
His replet ac aliis plangoribus ANNA plateas,
Singultus inter singula verba ciens,
At magis ægrefcit, magis acri fixa dolore est,
Vt sacri Agniferi limina sacra subit.
In quemcunq; locum rorantia lumina flectit,
Nil nisi luctificum nil nisi triste videt,
Parietibus mæret pullisq; sedilibus AE des
Et pullis aris, omnia squalor habet,
Ante aram summam patet octo præalta columnis
Machina, pægma quadrum, pyramidatus apex,
Gossipinis floccis internitet ater amictus,
Multigradisq; micant lampades ordinibus:
Vndiq; cereolas tendunt orichalca lucernas:
Non tot Aristorides lumina fronte tulit.
Culmine stat furuas pandens Iouis armiger alas
Mæstus & Alberti nobile stemma tenet,
Ter geminos lituos, iaculumq; hostile Draconi,
Et cruce fulgentem tergemina soleam,
Et sociata cruce radiantia cornua Pheebes:
Quattuor hæc bicolor diuidit vmbro quadrus,
Principis ossa, sub hoc resolvable mausolaum,
Dum soluantur ei debita iusta, locent.

Cenoras
phium
erectum.

Dum

Dum feretro lachrymansq; dolensq; aternitur vxor, Carmina
 Nania lugubres det gemebunda modos, ad funus
 Bis bini recitent epitymbia mœsta puelli recitata.
 Carmine flebilibus conueniente sonis,
 Atratas aquilas cuncti ac epicedia lustrent,
 Quæ longo paries ordine pullus habet,
 Hinc Ducis ALBERTI fas inclyta noscere facta,
 Parta quibus terris fama, quiesquæ polo.
 Describunt alij prælustrem Principis ortum, Epicedia
 Perq; Duces actum nobile germen auos. affixa.
 Quàm fuerit, memorant alii, studiosus honesti, Laus Ra-
 Exæquans morum nobilitate genus. diuili.
 Quàm fuerit solidæ pietatis idoneus autor,
 Quantus Apollinei fautor honosq; chori;
 Quàm frugi patriæ tutela domiq; forisq;
 Seu res consilio siue gerenda manu.
 Qui vigor ingenio fuerit quæ gratia fronti,
 Quod robur neruis, quantus in ore lepor;
 Quæ vires animo, quàm viuida dextera bello Militia
 Moschica dum validos duxit in arua Scythas, Radiuili.
 Pacificatorem canit ille, vt fæderis æquas Charus
 Arbitrio leges datq; capitq; suo. Sigism: 3.
 Hic Regem inducit lachrymantem & multa dolentem
 Cum consorte, sui morte super Patrocli.
 Relligionem alter quiritantem inducit auitam
 Atlantem decoris succubuisse sui,
 Singula commemorant RADIVILI encomia vates
 Fas tamen hæc paucis singula per legere,
 Suggestū cōscende Pater STANISLAE GRODICI, Concio
 Nota cui pietas Relligioque viri, funebri.
 Concio quanta videtne tuo pendeat ab ore
 Narrantis laudes & pia facta Ducis;
 Multa viri virtus, reuerentia multa Tonantis
 Multus & insuperos commemorandus amor,
 Quæ

Virtutes Quæ morum integritas, inapertaque pectora fraudi
Radiuili. Huic inerant nosti, nouit & ipse polus.

Mite cor huic animiq; fuit submissio summa,
Stirpe opibusq; amplis dos ea rara uiris.
Sobria temperies modiciq; modestia victus

In se asp. CHara fuit, Curios hac superauit auos.
Inq; alios Clemens, in seq; seuerus & asper

Fortè quod admittit criminis vltor erat:
Verbereq; in proprios torto defauit artus:
Prensit ei nudam ralla Cilissa cutem.

Hoc erat hoc arcto se ferre sub æthera calle,

Erga ino Quantus at hic inopum portus & aura fuit?
pes largo Si glacialis adussit hyems, amicituit egenos

Melotis, æstas si fuit, æra dedit:

Hospita tecta iisdem non parua exexit opum vi:

KLECKA huius meriti KAVNAq; pignus habet.

Quanta fuit pietas in relligiosa Tonantis

Limina, quæ larga struxit & auxit ope?

Ante oculos interq; manus insigne recurfat,

Organa Quod RADIVILVS in hac æde locarat, opus.
et templa Pneumaticum omnifonis structum systema monaulis
erexit. Quod iacit Organicum sæpè sub astra melos,

Syringes graciles in eo Lituique canori

Sæua sui autoris fata silendo dolent.

Iunctaq; CHRISTONYMI lugèt habitacula cœtus

Quæq; exercitii conscia tecta pii,

Pietas. Hic ubi se poliensq; piansq; nouissima voluit,

Et sua succendit cœlitate corda face.

Vidi ego, qui totam trieterin in illius aula

Exegi, fuerat quàm pietatis amans:

Vidi vt quotidie primo lachrymosus Eoo,

Nixus humi genibus, vota precesq; dedit.

Vidi vt quotidie nostræ monumenta salutis

Ipse frequentauit, Mysta operante sacris:

Sæpè

Sape ministrantem Tymphasq; merumq; litanti
 Vidi, alternantem sacraque verba Ducem,
 Vidi vt suppliciter, vili coopertus amictu,
 Vno cum fantulo, plurima templa obijt.
 Vidi illum festas Phæbo reucente Calendas
 Lustratum Angelicis accubuisse toris,
 His simul est epulis almoque refectus oliuo
 Extima dum Lachesis rumpere fila parat,
 Harum præco sacer proteris fastigia laudum
 Summa sequi: cunctas dicere, longa mora,
 Quos tamen exequiis pia fert Ecclesia ritus
 Assere, firmata stet ratione fides
 Discat iners Nouitas & inanis Opinio veri
 Soluere iusta piis manibus esse pium:
 Lustrales flammæ & stagna Cathartica discat,
 Igne piatur vbi gens fruitura Deo:
 Dux Machabæus idem Tobias, & Epistola Pauli,
 Astruat oraclum Soter & alme tuum,
 Iam dabit hæresiota manum, cane Mystra receptu,
 Clepsydra bis versa est, claude panegyricon,
 Perge, redi pie sacrificas Antistes ad aras,
 Et frater fratri quam potes affer opem.
 Quas non hic lachrymas, sineret si morbus adesse,
 NICOLEOS quæ non feruida vora daret?
 Ecqua STANISLAUm retinet mora tanta supremis
 Fratris ab exequiis: immodicus ne dolor?
 Munia saepe reor fraterna nouare dolorem
 MARSCHALCI, quæ Rex illi obeunda dedit.
 Tu modò Cardinei pars ordinis ampla GEORGI
 Cui sacrum redimit sacra tiara caput,
 Absentum suppleto vices, sacrisque litatis
 Fer fratri inferias iustaque grata tuo,
 Triste canat chorus interea Symphonicus, & plebs
 Poplite nixa preces Præsulis hæc iuuet:

Purgato-
 rius ignis
 asseritur.

Cardinas
 lis Radi:
 fratri ius
 sta soluit.

Palat:
 Trocen:

Marschal
 cus nou^o

Summe

Orario **Summe Pater** qui res hominum Diuumq; gubernas,
 Cardinas: Cuius ad arbitrium vita stat atq; cadit:
 Radiuili. Quæsumus **ALBERTI** fratris miserescito nostri
 Quem tulit ante diem numine Parca tuo,
 Indulge veniam fragilisq; piacula carnis
 Parce animæ, per quæ nunc tibi sacra lito:
 Si tua progenies olim scelus omne piavit,
 Hostia nunc eadem si tibi grata datur:
 Si fuit Albertus, dum vita manebat auitæ,
 Relligionis amans, si timidusq; tui:
 Virgineæ Matri si ferta rosacea legit,
 Cernuus Angelicum si reperiuit Aue.
 Si dedit Hæreticis nunquam Sirenibus aures,
 Si scelerum Harpyias vsque perosus erat.
 Si tua largus opum decorans altaria donis,
 Suevit ad hæc epulum participare sacrum,
 Fer miseratus opem, lustralibus eripe flammis
 Puram animam, sanctis consociaq; choris.
 Quæq; est mortalis defuncta crepidine vitæ,
 Perpes in arce tibi cælite viuat, Amen.
 Dulce refrigerium manes attingere spes est,
 Cælicolum ad Sedes hostia Missa præit.
 Ecquid adhuc restat nisi verba nouissima fari,
 Ac dare supremis ritibus ossa solo?
 Extremi Rore riga **PRAESul** ter sacro, lustret acerra
 ritus. Aurea ter feretrum, thureus afflet odor:
Æternum saluere iube æternumq; valere
ALBERTVM, Proceres condite corpus humo,
 Sepultura Est aræ ad dextram testudine crypta recenti,
 Hac mæsti vestrum contumulate **DVCEM**,
 Triste ministerium peragentes inquite, **SOLIS**
 Hoc **LITAVI RADIYM** condimus in tumulo.

